DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
PLANTIS MEDICINALIBUS
IN
INSULA CEYLONA
NASCENTIBUS,
ET QUAEDAM DE MEDICINA SINHALENSIUM COMPLECTENS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES SCOTT,

Scotus,

LEGIONIS PRIMAE CEYLONAE CHIRURGUS SECUNDUS,

ET

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. ORDIN.

"The woods are their Apothecaries' shops, where, with herbs, leaves, and rinds of trees, "they will do notable cures. All in general have some knowledge that way, and are Physi- "cians and Chyrurgeons to themselves."

Knox's History of Ceylon.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXIX.

JACOBO SCOTT

DE DARNLIE,

ARMIGERO.

Mihi pergratum est, carissime Frater, hanc esse oblatam occasionem, publice tibi gratias agendi pro multis in me collatis beneficiis. Diu, feliciterque, vivas et valeas votum est carissimum fratris tui,



JACOBO SCOTT

DE DARNLIE,

ARMIGERO.

Mihi pergratum est, carissime Frater, hanc esse oblatam occasionem, publice tibi gratias agendi, pro multis in me officiis et beneficiis. Diu, feliciterque, vivas et valeas votum est carissimum fatris tui,

JOANNIS SCOTT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

PLANTIS MEDICINALIBUS

IN

INSULA CEYLONA

NASCENTIBUS,

ET QUAEDAM DE MEDICINA SINHALENSIUM COMPLECTENS.

PROÖEMIUM.

MEDICAMENTA varia regno vegetabili deducta, quae inter indigenas Indiae Orientalis in usu sunt ad morbos sanandos, aut levandos, regionem offerunt quaerentibus extensam lateque patentem. In sequente dissertatione propositum est, res ad scientiam herbarum medicinalium insulae Ceylon dictae solummodo scrutari. A situ ejus fere aequinoctiali, a diversitate coeli, terraeque, monti-

 bus

bus excelsis proruptis, et spatiis camporum immensis variatis, plantas regionum maxime diversarum, quasi in uno conspectu videre possumus: et in sylvis densis profundisque, arbores Indiae utriusque littoris inveniuntur. Licet in omni regione orbis terrarum, quaedam fortasse in auxilium suorum malorum prompta reperiantur, tamen non inductus eram vana spe aliquid novi ad copiam Pharmacopoeiae nostrae addendi; sed solum attentione quomadmodo botaniae directa, dum in hac insula versabar, et quia doctrina medica, commercioque, semotus, in investigationibus hujusmodi occupationem gratam et amoenam inveneram. Opusculis eximiis Doctorum Fleming et Ainslie* fere scientiam omnem hodiernam plantarum Indiae Orientalis medicinalium debemus. De his libris multum ad meam rem pertinentem excerpsi, et nominibus botanicis Linneo, Roxburgho, Rottlero, vel Koenigo appropriatis, virtutes medicinales, et appellationes, in lingua Sinhalensium usitatissima adjeci.

Non fortasse hac dissertatione alienum esset, quaedam

* Materia Medica of Hindoostan, opus praestantissimum et summis laudibus dignum.

quaedam generalia de arte medica Sinhalensium proposuisse, sed nec ingenia mea nec limites laute super hanc rem disserere permittent. Anatomiae et physiologiae verae omnino imperiti, non multum in chirurgia profecerunt; qua causa necesse est scientiam eorum medicam mancam et imperfectam remansisse.

Sed experientia longa docti, peritiam non contemptam in signis morborum distinguendis et virtutibus plantarum adhibendis acquisiverunt.

Theoriae suae subtilitates et disquisitiones scholae Galeni minutas non minime referunt, omnis morbus effectibus aut caloris, frigoris, vel humiditatis, derivatur, vel humorum depravatione, vel pituitae, bilis aut bilis nigrae praesentia. Galenicis similes etiamque, a pulsu maximam peritiam de morbo judicandi simulant: et iisdem parti corporis omni pulsus proprius attribuitur. Si sanguinem mittere necesse sit, eum secundum morbum diversis venis detrahere docemur.

Distinctiones Nosologiae valde complicatas minutissimasque habent, et morbus omnis in varietates fere innumeras diducitur, ob causam qua videtur illis originem ducere. In libris eorum medicis credo species centum febrium vel amplius enumerari:

enumerari: et diabetes* morbus, certe non frequens, in species viginti dividitur. In hac valetudine saporem urinae mellitum observaverunt, longe ante notus erat medicis Europeis; et ut Doctor Christie ait, diligentiam curamque maximam inquisitioni hujus rei adhibuissent.

Omine haud fausto rationem medendi instituerant pro theoriis futilissimis per multa saecula traditis.

Quamquam verò scientiam non minimam virtutum plantarum possideant, tamen ab impulsu malae auctoritatis contorto, in conjunctiones ita mirabiles, et farriginem tam multifariam usurpantur, ut nec celeberrimo Mithradati ipsi nec Andromacho in diversate et varietate rerum componentium panaceae Ceylonenses cederint.

Medicamenta praecipua regno vegetabali deducuntur, sed praeparationes etiam fossiles quaedam in usu sunt: Vytianis similes et fortasse omnibus Indiae Orientalis medicis, arsenicum et argentum vivum maxime laudant. Arsenicum in morbis a vitioso sanguine (ut aiunt), aut humoribus depravatis originem ducentibus, usurpatur; in elephantiasi

* Morbi tamen omnino diversi sub eodem nomine includuntur.

elephantiasi et morbis cutis molestis et diuturnis.

Argentum vivum sub diversas formas et praeparationes in multis eorum formulis iniit, et fortasse ex hoc fonte non minimum mali agrotis fluit. De medica scientia Sinhalensium, ut in libris apparet, tantummodo disserui, sed aliis gentibus similes in artibus vitae, et praecipue arte medica, parum provectis, inter multos solenne est, morborum causas ad numina offensa aut daemones iratos referre. Itaque incantamentis, sacrificiisque piacularibus, iram daemonum deprecari contendunt.

Sibi ipsis apparent plurimum daemonibus subjecti : Knox, qui inter hos a puerili aetate usque vitam degerat, et omnes eorum sententias et prejudicia imbuerat, maxime luget, hanc terram formosissimam, in omnibus rebus ad felicitatem conducentibus adeo fertilem, pro daemonibus fere inhabitabilem fuisse, et vitam vix tolerabilem reddidisse.

Scientiam indigenarum in rebus botanicis saepe miratus sum, nec haec medicinam colentibus tantummodo pertinet, sed multi etiam ex infimis species et nomina plantarum satis accurate dignos-

cere

cere possunt. Inter sylvas vastas, et campos uberrimos vitam degentes, ab ineunte aetate animos ad hanc rem intenderunt; et peritiam plantarum in vicinis crescentium commodissimam acquisiverunt. Licet appellationes in lingua Sinhalensium non fortasse in formam systematis regularem redactae sint; in hac tamen re auxilii aliquid recepimus, arbor nempe dignoscetur additamento verbi *gaha*, arborem significans, et herba repens *wael* appellatur.

Habitus saepissime nomine denotatur; et admonemur an plantam indagare, in montibus, silvis, paludibus, aut campis, oporteat. Si species sit unica, appellationem simplicem habet; si sint multae, inter se dignoscuntur, additamentis *maha* magnum, *hin* parvulum, *keri* lacteum, *katu* spinosum, *rasa* dulce, *ratha* rubrum, *kalu* nigrum, *sudu* vel *ael*, album; *wal* notat speciem sylvestrem, et *rata* plantam non indigenam. Perplurimae appellationes sunt plantis aptissimae. Convolvulus Pes Tigrinis nomen triviale acceperat a *Divi Passeru* Sinhalensium. Oxalis sensitiva *nidikumba* vocatur, a *nidi* dormire, et *kumba* somnum, quia folia hujus plantae tactu quasi dormientia placide decumbunt. Hujusmodi exempla

pla ad infinitum augeantur, sed haec ostendere sufficiant, qua diligentia incolae ad hanc rem animos adhibuerunt. Nunc mihi restat, et fortasse necesse erit, quaedam disserere quam ob causam in hoc tentamine methodum Jussieuanum anteposui. Longe absit, et nemo fervide spero me ita insanum esse judicabit, ullam sententiam de systematibus tantorum virorum proferre, aut comparationem inter seriem Linnei et Jussieu instituere. Dolore mentis fateor me adhuc imperitum esse scientiae herbarum, et nunc lugeo multas occasiones culturae perditas aut neglectas.

Caussae hujusmodi tamen suaserunt, et me impulerunt, saltem in hac re sectatorem esse Jussieu celeberrimi. Seriem Linneanam certe et omnes fatentur, ad rem medicam minime aptatam. Ordinatio pro viribus quibus medicamenta in corpore humano pollent, vix adhuc stabilita habetur; et in hodierna plantarum Indiae scientia recte judicatum erit premature fieri. Ordo litterarum usitatissimus est, et fortasse aptissimus; sed ut ab aliquibus dicitur, et quidem mihi apparet, vires herbarum aliquid consentaneum habere cum formis externis, et verisimile est in dispositione classium naturalium, virtutes quasdam

generales

generales inventum iri. Solum inceptum est sine doctrinae vindicatione, taleque hoc inceptum considerari volo.

Appellationes Sinhalenses meae fere omnes cum his Burmanni * consentiunt, et utriusque accurationi addit, me nunquam ejus librum perlegisse, donec in Angliam rediissem. Nonnunquam multa nomina eidem plantae applicantur, et aliquando plantae omnino diversae eodem nomine designantur, sed nativum medicum aut doctorem consulere, ambiguitatem removere sufficiet. Imperitia me hunc catalogum, non nisi mancum et imperfectum, harum rerum quae in arte medica inter Sinhalenses sunt usitatissimae, offerre sinit.†

* Thesaurus Zeylanicus

† Excerpta e Grimmio in libro Burmanni inveniuntur. Grimmius ejus Laboratorium Zeylanicum in lucem edidit circa annum 1670; sed nunc opusculum rarissimum est, et nunquam vidi.

ORDO AROIDEAE.—Gen. A. Arum, Spec. Macrorrhizon, Linn. Cyng. *Habarala.*

HAEC Ari unica species est quae in medicina Indica adhibetur. Radix recens acrimonia quadam gaudens, vel oleo vel sale contunditur, et tumoribus magnis male suppurantibus, doloreque vacuis, applicatur. In incultis vulgo crescit, et nonnunquam pro cibo pauperioribus usurpatur.

Gen. B. Acorus, Spec. Calamus, Linn. Cyng. *Vaesumba.*

ACORUS et in Asia et Europa invenitur; inter indigenas Ceylonae habetur esse medicamentum maximi pretii. Radix ejus aromatica cum aliis amaris in aqua coquitur, dyspepsiaque usurpatur, et plurimum dicitur profuisse in febre intermittente.

ORDO GRAMINEAE.—Gen. Andropogon, Spec. Schoenanthus, Linn.

ANDROPOGON (Anglice *lemon grass*) saporem aromaticum habet, cum quadam amaritudine conjunctum; et ob has virtutes in infusione tam

 indigenis

indigenis quam Europaeis colonis, aliquando adhibetur.

Ordo Lilia.—Gen. Erythronium, Spec. Indicum Rottler, Tamul. *Nurri Vungayum.*

Pervulgatum crescit prope amnium marisque littora apud insulam parvulam Batticaloam, et in partibus Ceylonae septentrionalibus. Vires ejus radicis bulbosae Scillae maritimae simillimae sunt; et Doctorem Christie* in errorem incidisse, et hunc bulbum pro Scilla adhibuisse potius suspicor; utilitate tamen haud dubia in morbo periculosissimo, Beriberi, apud Nosocomium urbis Trincomalee dictae. Decoctio cum aqua praebet mucilaginem saporis perquam amari et nauseosi.

Non inter Sinhalenses vidi nec illis pro medicina adhibetur, sed fortasse locum Scillae bene supplebit, pulvis cujus valde depravari proclivis est in regionibus calidis. Dosis bulbi siccati et pulverizati ac Scillae eadem est.

* Dr. Christie's Papers on Beriberi, in Hunter on Diseases of Lascars.

Ordo

Ordo Asphodeli.—Gen. Aloe, Sp. Perfoliata, Linn. Cyng. *Komarika.*

Vires aloes perfoliatae catharticae, diu et Indis, et Europaeis, cognitae fuerunt. Pulpa aloes angustifoliae, in aqua bene lota, et adjecto aluminis usti pauxillo, in ophthalmia remedium (ut ait Dr. Ainslie) Indis habetur esse eximium.—"Ex foliis excoriatis Cochinchinenses parant ferculum salubre: primo in aqua aluminis macerant, postea in frigida, inde addito saccharo leviter coquunt, et nunc manent albissima, tenera, palato jucunda, omni virore deposito."—*Laureiro, Flora Cochinchinensis.*

Ordo Cannae.—Gen. A. Curcuma, Sp. a. Zedoaria, Roxburgh. Cyng. *Maha Kaluwa.*

Plantae hujus ordines in molem indigestam extiterant, donec indagatae essent a Doctore Roxburgh, nomina cujus secutus sum. Radix hujus speciei in maximo pretio est inter indigenas, ut medicamentum tonicum, et stomachicum, et existimatur specificum esse in morbis venenatis.

Spec.

Spec. b. Zerumbet, Roxb. Cyng. *Walinghuru.*

Haec planta, recte me judice, a Doctore Roxburgh dicitur zedoariam officinarum Londonensium suppeditare, virtutes cujus bene notae sunt, et Indis laudatae.

Spec. c. Longa. Cyng. *Kaha.*

Radix in rebus domesticis utitur, etiamque in obstructionibus viscerum abdominalium, in ictero, et in diarrhoea aquosa, diuturnaque adhibetur.

Gen. Curcuma, Spec. Incerta.

Curcumam radice Rotunda, Burmanni, Doctor Roxburgh credidit esse Kampfaeriam Panduratam suam; " ex bulbis rècentibus, ait Laureiro, cumae rot. Crini Zeylanici, et foliis artemisiae, fit cataplasma quod heroicum pharmacum in dolore, et tumore ventris ex suppressione mensium expertus sum."

Quinetiam incertus maneo de Zedoaria Zeylanica Burmanni, Cyng. *Harankaha,* quae fere sacrum Sinhalensibus aestimatur in morbis periculosissimis, desperatisque. Radix est stimulans sudorifica et diuretica; et distillatione praebet oleum

um quod in minima dosi (ait Grimmius) vires totius plantae possidet.

Gen. B. Zingiber Officinale, Roxburgh. Cyng. *Inghuru.*

PRAESCRIPTI fere omnis medicamenti partem constituit febrem intermittentem adversus, et decoctio aquosa morbis febrilibus occurrere dicitur: certe summo commodo adhibetur cum cortice Peruviano conjunctum, in nosocomiis pro militibus nativis; non raro inveni decoctionem radicis jam recentis siccatae aptissimam Peruviano cortice exhibendo: nonnunquam ut rubefaciens applicatur.

ORDO ARISTOLOCHIAE.—Gen. Aristolochia, Spec. a. Indica, Linn. Cyng. *Sacsanda.**

CORTEX radicis aromatica medicamentum est valde laudatum inter Sinhalenses, et in compositiones fere omnes contra morsus serpentum intrat. Decoctio semiunciae ejusdem partis cum libra aquae multum etiam usurpatur in morbis

a frigore

* A Sanda Luna quia plantae hujus radix aiunt pleneluni plurimus pollet virtutibus.

a frigore aut pituita, ut aiunt, originem habentibus; itaque in multis febribus intermittentibus, morbis hydropicis, dyspepsia, &c. Oleum a seminibus a Grimmio dicitur esse optimum in obstructionibus uterinis.

Spec. b. Bracteata, Koenig.

Virtutes amaras et aromaticas prioris habet et pro anthelmentico adhibetur.

Ordo Eleagni.—Gen. Terminalia, Sp. a. Alata, Koenig. b. Chebula. c. Bilirica, Roxb.

Cortex speciei primae, et secundae, applicatio utilis in apthis adultorum habetur esse. Ultima vix usurpatur sed in praescriptionibus dicitur inveniri.

Fructus chebulae ut laxans utilissimum a Doctore Fleming maxime commendatur.

Ordo Lauri.—Gen. Laurus, Sp. Cinnamomum. Cyng. *Kurundu.*

Historia cinnamomi ita peritissime luculentissimeque in lucem editur amico meo eximio Henrico Marshall, in insula Ceylonae copiis Britanicis chirurgo, ut mentio omnis hicce supervaca-

nea

nea esset, sed silentio praeterire non possum errores super hanc rem valentes. In libro utilissimo Antonii T. Thomson (Anglice London Dispensatory), aequa certe commendatio dissertationi Doctoris Marshall tribuitur. Sed quodammodo in sensu maximi momenti erraverat, et in explicationem omnino a sententia amici mei diversam inciderat. Igitur fortasse non abs re erit ambiguitatem breviter explicare.

Cinnamomum et cassia commercii sunt ejusdem arboris cortices, Lauri Cinnamomi, Linneo dictae, kurundu Sinhalensibus; varietates inter has gustu vel oculo perceptae, solummodo ab aetate arboris decorticatae, aut a diversitate coeli, aut soli, pendent. Iterum, arbor Linneo Laurus cassia appellata, Laureiro Laurus myrrha, et Lusitanicis canelle del mato, speciem a priore diversam constituit sub nomine dawul kurundu Sinhalensibus cognitam: cortex cujus nullas virtutes habet cinnamomo communes; amarissima est, sine ullo sapore aromatico, et potius myrrham sapiens et olens. Itaque, ut bene Doctore Marshall explicatur, nec producit cassiam commercii nec ulli usui applicari potest.

ORDO

ORDO PLANTAGINES.—Gen. Plantago, Spec. Isphagul, Roxb.

INFUSUM seminibus mucilaginosis hujus plantae formatum, multum a medicis indigenis laudatur in gonorrhaea, catarrho, et morbis nephriticis. In his morbis utilitas ita bene confirmata est (ait Dr. Ainslie), ut frequentissime in nosocomiis Europaeis usurpatur.

ORDO NYCTAGINES.—Gen. A. Mirabilis, Spec. Jalapa, Linn. Cyng. *Sindrica Mal.*

HAEC planta formosissima, florifera, in India non indigena est, sed tam facile propagatur ut sylvatica prope vicos frequenter inveniatur.

Radix vires purgantes habet, sed non nisi in magna dosi detur; et operatio est valde incerta.

Gen. B, Boerhaavia, Spec. Diffusa. Cyng. *Pettaghedde.*

RADIX pulverizata laxans est.

Dosis drachma aut duae.

ORDO

Ordo Plumbagines.—Gen. Plumbago, Spec. a. Rosea, Linn. Cyng. *Rathnetul.* Spec. b. Zeylanica, Linn. Cyng. *Aelrathnetul.*

Radix recens est acris et corrodens, inde usus ad vesiculas excitandas frequens est; utilis aestimatur in carcinomate et ulceribus phagedaenicis. In scabie specificum habetur. Sinhalenses radicem contusam imponunt vulneribus a colubris aliisque veneficis inflictis.

Ordo Vitices.—Gen. A. Volkameria, Spec. Inermis, Linn. Cyng. *Guraenda.*

Succus radicis nauseosus, cum aliis amaris conjunctus, in scrofula et rheumatismo adhibetur; sed multum virtutis possidere non apparet.

Gen. B. Vitex, Spec. a. Trifolia, Linn. Cyng. *Walnika.* Spec. b. Negundo, Linn. Cyng. *Nika Nisinda.*

Folia utriusque speciei, et postremae speciatim, pro fomentis vulgatissime applicantur; et in affectionibus rheumaticis remedium eximium aestimantur. Ab indigenis in inflammationibus internis,

 et

et febre puerpera, balneum calidum foliis formatum plurimum praestare dicitur. "Folia (ait Dr. Fleming), discutientia bene appellantur: Eorundem efficaciam ad inflammationes articulorum, a rheumatismo acuto, et testiculorum, a gonorrhaea, depellendis saepe miratus sum." Folia recentia super ignem calefaciunt, ad gradum qui sine dolore ferri potest.

Gen. C. Gmelina, Spec. Asiatica, Linn. Cyng. *Demotha.*

Radix mucilaginosa in cachexia, aut depravatione corporis, usurpatur et laudatur.

Ordo Labiatae.—Gen. Ocymum, Spec. a. Album, Linn. Spec. b. Basilicum. Cyng. *Kolankola.* Spec. c. Pilosum, Roxb. Cyng. *Rathatala.*

Folia aromatica primae speciei stomachum roborant; et secundae semina mucilaginosa a virtutibus refrigerantibus, optima esse in morbis nephriticis habentur. Extrinsecus applicata ut et folia Sinhalensibus dicuntur in cephalagia esse specifica. Ultima species habet virtutes prioribus fere

fere similes, et faeminis in doloribus post partuaritionem usurpatur.

ORDO SOLANEAE.—Gen. Datura, Spec. a. Metel. b. Fastuosa. Cyng. *Datura Antenna*, Burm.

VIRES seminum narcoticae et stupefacientes bene Sinhalensibus cognitae sunt, qui liquoribus inebriantibus non raro haec commiscent. In dosi magna sumpta delirium in insaniam vergens inducunt. Folia siccata ut bene cognitum est in asthmate inhalantur; et licet virtutes potentissimas habeant, difficultatem respirationis levandi, et paroxysmum removendi, regressum tamen morbi prohibere, aut etiam retardare nequeunt.

ORDO CONVOLVULI.—Gen. Convolvulus, Spec. Turpethum, Linn. Cyng. *Tristawael.*

HAEC convolvuli species in maxima aestimatione inter Sinhalenses est; et certe purgans potentissimum non immerito censetur: olim in nostris Pharmacopaeis Europaeis erat, sed nunc usus obsolevit; abunde in locis umbraculosis sepibusque crescit. Radix in medicina usurpatur, et

recens

recens succum lacteum, subacrem, nauseosum continet; radicis drachma aut duae, cum aliis remediis conjuncta, in aqua coquitur, et cochleare pro dosi sumptum, efficacissime purgare dicitur.

Ordo Bignoniae.—Gen. Sesamum, Spec. Orientale. Cyng. *Tala.*

Sed hoc nomen Sinhalensibus saepius cassiae speciei applicatur;—oleum exhibet per distillationem, quod commodissime adhibitum est in ardentibus capitis doloribus, "est anodynum, emolliens, et resolvens," ait Grimmius,—usum familiarissum habet inter indigenas, a quibus oleum Gingillie vocatur.

Ordo Gentianae.—Gen. A. Gentiana, Spec. Chiritya, Roxb. Cyng. *Shintilla.*

Folia hujus plantae sunt amarissima, stomachica, et stimulantia, eorumque decoctionem cum nuce Caesalpinae Bonducellae adhibitam, plurimum in febre intermittente profuisse multi testantur. Maxime Doctore Fleming laudatur; a nonnullis quidem vix cortici Peruviano secundum habetur.

Gen.

Gen. B. Ophiorrhiza, Spec. Mungos, Linn. Cyng. *Naghawael.*

Appellationem habet a *nagha* vel *nayha*, cobra del capello,* cujus serpentis ictus folia hujus plantae specifice et mirifice sanare dicuntur. Haec non est, ut vulgo dicitur, *midi* Sinhalensium; *midi* sub genere cornutoide Linneo locatur, et in usu communi est in dysenteria et diarrhoea diuturna.

Ordo Apocineae.—Gen. A. Nerium, Spec. a. Antidysentericum, Linn. Cyng. *Wal Idda.*

Olim in Pharmacopaeis nostris erat sub nomine corticis conessi. Decoctum nonnunquam in dysenteria adhibetur. Radix nerii, sp. b. odorati, est venenum forte, et potens, et Indis ad necem sibi voluntariam consectandam, usurpatur.

Gen. B. Periploca, Spec. a Sylvestris, Wild. Cyng. *Binnuga.*

Radix in communi usu est ad vomitum provocandum. Ipecacuanham in virtutibus effectibusque maxime referre dicitur.

Spec.

* Coluber Naya. Linn.

Spec. b. Indica, Linn. Cyng. *Kiridaewael.*

Radix nobis vocatur sarsaparilla indigena, et virtutes smilaci non dissimiles possidere apparet. Non raro decoctum exhibui, et certe commodo in doloribus chronicis et articulorum tumefactionibus, quae frequentissime administrationem hydrargyri in indigenis, incolisque Lusitanicis sequuntur.

Gen. C. Ophioxylum, Spec. Serpentinum, Linn.
Cyng. *Ekawerya.*

Incolae plurimum radicem hujus plantae contra omnia venena, et praecipue contra ictum cobra del capello, extollunt: contritam eam exhibent ad semidrachmam et amplius.

Gen. D. Cerbera, Spec. Manghas, Linn. Cyng. *Ghonkaderu.*

Succus fructus hujus plantae lactescens, morbis cutis sanandis a Sinhalensibus applicatur.

Gen.

Gen. E. Strychnos, Spec. Nux Vomica, Linn.
Cyng. *Ghodakaderu.*

"LIGNUM est optimum alexipharmacum adversus morsus serpentum morbosque venenatos." —*Grim.* Adhibetur quoque in morbis febrilibus, et in scabie extrinsecus applicatur. Semina sunt narcotica potentissima.

Gen. F. Asclepias, Spec. Gigantica, Lynn.
Cyng. *Wara.*

SUCCUS lacteus qui ex petiolo vel foliis fractis fluit, emeticum est vulgo in usu inter Sinhalenses. Frustum salis in succo per noctem maceratur, dein aqua frigida lavatur et decoctione oryzae *(congee)*, coquitur. Hic dicitur vomitionem plenissimam excitare, nullo cum effectu injucundo.—*Knox.*

Dr. Fleming, asclepiadem asthmaticam in dysenteria utilem inventam fuisse narrat.

ORDO RUBIACIAE.—Gen. Pavetta, Spec. Indica,
Linn. Cyng. *Pawatha.*

RADIX hujus plantae amarae vires purgantes

possidere

possidere dicitur, et in dosibus parvulis multum in Dysenteria profuisse.

ORDO CAPPARIDES.—Gen. Crataeva, Spec. a. Marmelos, Lynn. Cyng. *Belighas.*

FRUCTUS immaturus astringens in diarrhoea diuturna, et lochiae fluxu nimio commendatur.

Spec. b. Tapia.

DECOCTUM corticis astringentis hujus speciei in febribus intermittentibus usurpatur.

ORDO SAPINDI.—Gen. Sapindus, Spec. Emarginatus, Linn. Cyng. *Conghas.*

"VYTIANI," ait Doctor Ainslie, "fructum hujus arboris remedium expectorans praestantissimum esse aestimant, et hac ratione adhibent." Indi loco saponis utuntur.

ORDO GUTTIFERAE.—Gen. Garcinia, Spec. Cambogia, Wild. Cyng. *Ghoraka Ghokata.*

GARCINIA fructu ejus acido, jucundo, subdulci, arbor est usitatissima, et inter Sinhalenses utilissima; vel sponte vel ex incisione corticis fluit succus flavus viscidus, qui a colore fortasse gambogiam

bogiam officinarum esse diu habebatur: certe non recte, ut succus mitis *Ghorakae*, vix ullam similitudinem gambogiae habet.

Ghokata Sinhalensium a Doctore Ainslie dicitur esse stalagmites gambogoides; parum vero proprie, nam *Ghokata* est garcinia nunc descripta. Excerptum Epistolae Hermanni, in notis Commelini ad Hortum Malabaricum, alteram esse speciem gummum gambogiae similem fundentem docemur, et Sinhalensibus cognitam sub nomine *Kanna Ghoraka;* sed haec appellatio varietati ejusdem arboris applicari credo.

Mihi apparet, ut a Bontio* dicitur, gambogiam commercii praecipue productam esse in Cambodia et Siam, a stalagmite gambogoide; sed Laureiro garciniam cambogiam sub nomine ejus Linneano, cambogiae guttiferiae, satis accurate describit, dein adjicit, "Inciso hujus arboris cortice, in Siam et Cambodia, magna extrahitur copia gummi guttae in exteras regiones exportanda."

A Grimmio multum ut remedium purgans, et emeticum laudatur, sed vix ab indigenis, nisi in pigmentis adhibetur.*

ORDO

* De Medicina Indorum, caput ix.

Ordo Meliae.—Gen. Melia, Spec. a. Azedarach, Linn. Cyng. *Panikohombo*. Spec. b. Azedarachta. Cyng. *Kirikohomba*.

A fructu ultimae speciei oleum margoosa, ita alte indigenis laudatum, paratur. Habet odorem valde peculiarem, et saporem amarum, nauseosum. Intrinsecus pro vermibus usurpatur; et extrinsecus in plurimis morbis dolorificis applicatur. Utriusque speciei cortices contra febrem intermittentem adhibentur, et, ait Doctor Ainslie, omni ratione ac cortex Peruvianus inter nos usurpatur.

Ordo Malvaceae.—Gen. Sterculia, Spec. Foetida, Linn. Cyng. *Telabo*.

"Haec arbor ita vocatur," ait Grimmius, "quoniam fortiter olet, plus tamen ad stercus vaccinum quam humanum accidit." Incolae utuntur ejus ligno cum ligno santali contuso, et haec cum aqua sorbenter ad febres, morbos ardentes, et puerorum apthas curandas: dosis est drachma dimidia ad drachmam unam.

Ordo

ORDO MENISPERMAE.—Gen. Menispermum, Spec. a. Cocculus, Linn.

BACCAE cocculi Indici in pulverem subtilem contunduntur, et, cum oleo mistae, in porrigine et scabie inveterata applicantur.

Spec. b. Cordifolium, Russel.

INDI existimant folia decocta tonica esse, et in febre intermittente utilia.—*Dr. Fleming.*

ORDO MYRTI.—Gen. Punica, Spec. Granatum.—Linn.

UTILITAS corticis hujus arboris radicis, in taenia ita bene stabilita est, ut hic omnino alienum esset lautius disserere. Decoctum ex uncia et dimidia corticis et libra aquae, cujus unciae duae omni secunda hora desumuntur, non dubito (praeter oleum terebinthinae fortasse), quin in hoc morbo remedium utilissimum sit, et efficasissimum nobis notum. Contra vermes a Celso commendatur.

ORDO

ORDO SALICARIAE.—Gen. Lawsonia, Spec. Spinosa, Linn. Cyng. *Manithonda.*

DECOCTUM ex foliis dicitur in multis cutis morbis prodesse; Arabum est *hinna* celeberrima.

ORDO LEGUMINOSAE.—Gen. A. Abrus, Spec. Precatorius, Linn. Cyng. *Olinde.*

TOTA planta est dulcissima, praecipue radix, ex qua decoqui potest succus glycherrhizae simillimus, et easdem virtutes possidens.

Gen. B. Cassia, Spec. a. Fistula, Linn. Cyng. *Aehala.* Siliquae et Folia.

MEDICAMENTUM laxans in maxima aestimatione inter Sinhalenses. "Ex floribus," ait Grimmius, "extrahimus conservam quae in ghonorrhoea obstructionibusque renum optimum producit effectum.

Spec. b. Tora. Cyng. *Tala.*

SUCCUS hujus speciei, necnon spec. c. alatae extrinsecus in impetigine applicatur.

Gen.

Gen. C. Guilandina, Spec. Bonducella, Linn. Cyng. *Kubureuvael.*

Haec vulgatissima est in quibusdam Ceylonae partibus, et recte remedium esse optimum in febre intermittente judicatur; unum ex seminibus amarissimis, in pilulas factum, et pro dosi sumptum cum decocto gentianae chirtyae, magnopere prodesse invenitur; et non raro medicis Europaeis adhibetur, ubi ventriculus corticem Peruvianam tolerare non potest.

Gen. D. Hyperanthera, Spec. Morunga. Cyng. *Katumorunga.*

Radix vulgatissime in medicina usurpatur. Decoctum in febribus adhibetur, et ut rubefaciens eximium in rheumatismo commendatur. Oleum ex hoc distillatum, Ben celeberrimum, extrinsecus applicatur dolores rheumatismi podagraeque levare.

Gen. E. Dolichos, Spec. Pruriens, Linn. Cyng. *Waelandu.*

Inter sepes passim crescit. Infusum radicis affirmatur prodesse in dysenteria, et vomitu cohibendo.

bendo. Inter indigenas virtutes pubis leguminis anthelmenticae sunt ignotae.

Gen. F. Tamarindus, Spec. Indicus, Linn. Cyng. *Hyabila.*

Fructus bene in Anglia cognoscitur, conserva e floribus adhibetur in obstructionibus hepatis splenisque.

Gen. G. Butea, Spec. Frondosa, Roxb.

Semina leguminis contra taeniam, et ascarides, medicis malabaricis pollere aestimantur.

Ordo Euphorbiae.—Gen. A. Euphorbia, Spec. a. Antiquorum, Linn. Cyng. *Sandricalli: Dallugahah.*

Succus hujus arboris lacteus est medicamentum purgans vehementissimum; in affectionibus viscerum obstinatis, in indurationibus hepatis splenisve, in hydrope, post febrem intermittentem diuturnam, intus usurpatur; etiam extrinsecus est rubefaciens potentissimum, et in rheumatismo et paralysi applicatur. Usus in alvum ducendo vulgatissimus est inter Sinhalenses: "Quaedam piperis grana per horas duodecim in succo lacteo

macerant;

macerant; dein in aqua cum *ghoraka* (fructus garciniae cambogiae), coquunt. Hoc bibunt et purgat bene," ait Knox.

Spec. b. Tortilis, Roxb.

Haec species eodem nomine appellatur, et virtutes priori simillimas possidet: deobstruens est catharticum, et nonnunquam vesiculas in cute inducere applicatur.

Gen. B. Croton, Spec. a. Lacciferum, Linn. Cyng. *Kappethya.*

Haec arbor in quibusdam partibus Ceylonae Australibus abunde crescit: radix ei quodammodo aromatica dicitur esse, et lacte cocta vires catharticas non lenes exhibet. Folia etiam in aqua infusa sunt cathartica et emetica. Resina quaedam (*gum lac* Anglice), super hanc arborem abunde invenitur, maxime in interiore ramorum parte ad foliorum insertionem. Inter multos disputatur, an sit exudatio spontanea an productio animalis. Laureiro, qui saepe satis accurate describit, haec verba habet: "Lacca a formicis rufis formari haud dubito, qui succum punctis arboris ramis exsugunt, digestumque reponunt eosdem

incrustantes

incrustantes arboris ramos nidosque, pro futura prole aedificantes more apium." Certe formicae nidos hac resina formant, sed in ventriculo minimam mutationem subit. Nam ramo secto fluida sponte coalescens huicque simillima exudat: usurpatur ad tingendam sericam colore carmesino, pulchro et immutabili.

Spec. b. Aromaticum, Linn. Cyng. *Walkappethya.*

Succus hujus arboris acris extrinsecus in rheumatismo applicatur. Hermanus ait, "Non raro ex incisione hujus corticis laccam rubram et pellucidam, sed perpaucam, collegi."

Spec. c. Tiglium, Linn. Cyng. *Jayapala: Gayapala.*

Semina hujus arboris sunt purgantia potentissima, excellentissimaque, sed usus cautionem requirit. Ad librum Doctoris Ainslie testimoniis praevalidis horum utilitatis refero. In Ceylona duobus modis praecipue adhibentur. Semina vel pauxillo fimo bovillo torrefaciunt, et tunc in pilulas exiguas dividunt, utraque grana dimidia et pro dosi sumunt, aut putamine et pellicula interna denudant, et in lacte decoquunt. Knox etiam habet—

habet—“ They drink, as a purgative, a little of the water in which these seeds, ghoraka and pepper, have been boiled.” Folia sunt acerrima, et in ore sumpta dolorem et calorem faucium fere intolerabilem inducunt.

Gen. C. Jatropha, Spec. Curcas, Linn. Cyng. *Ratakaekuna.*

A NOMINE hujus arboris exoticam credere inducimur ; adeo vulgatissima tamen est, ut sepes ex ea formenter, sed dubito nihilominus an indigena crescat ; nux purgans est in usu vulgari ; hinc nomen Anglice “ *Purging Nut,*” sonans. Virtutes *jayapala* similes habet sed mitiores : Semina duo pro dosi sumuntur, sed exemplum audivi ubi semina quatuor vel quinque incaute devorata, effecta violentissima, vix non lethalia, induxerant.

Gen. D. Ricinus, Spec. Communis. Cyng. *Erandu.*

HAEC arbor pretiosissima abunde et cum summa facilitate in Ceylona oritur. Sine ulla cultura crescit, et in copia tanta, ut omnem Europam oleo qualitatis longe melioris supplere soleat. Nuces sunt dulces mitesque purgantes ; sed aliquando

 incaute

incaute devoratae, vomitum et purgationem violentissimam induxerunt.

ORDO CUCURBITACEAE.—Gen. A. Carica, Spec. Papaya, Linn. Cyng. *Pepulgaha.*

HAEC arbor indigena non est, sed culta fere in omni horto crescit. Succus fructus immaturi primo in insula Gallorum Indica, Mauritii dicti, contra lumbricos usurpatus erat. Cochleariae duae vel tres succi lactei, qui ex incisione fructus fluit; cum aqua calida miscetur, et pro dosi sumitur. Milites legionis olim Ceylonae quartae, indigenae, scilicet ex Africae Freto Mozambicae, lumbricis haud raro in lethum evadentibus, valde obnoxii erant. Inter hos succus papayae maxime usurpatus erat amico meo Doct. Adams, tunc legionis chirurgo, in Nosocomio Gallae (*Point de Galle*), et commodo haud dubio. Nonnunquam necesse erat dosim repetere, et dein oleo castoreo operationem accelerare; hac ratione copiae lumbricorum ingentes dejectae essent, cum aliae methodi spem defecissent.

Gen.

Gen. B. Bryonia, Spec. Epigea. Rottl.

Haec cum *hundale* Sinhalensium in fere omnibus signis convenit. Saepius extrinsecus in rheumatismo applicatur; sed Doctore Ainslie aestimatur remedium esse tonicum in rheumatismo chronico, et affectionibus venereis vetustis. In virtutibus suis tonicis amarisque, prope ad radicem Calumbae accedit. Dosis radicis pulverizatae est scrupulus cum semisse.

Ordo Urticae.—Gen. Piper, Spec. a. Cubebs. b. Longum. Cyng. *Miris.*

Utraeque species sunt tonicae et stimulantes, et hac ratione plurimum adhibentur. De usu prioris in gonorrhoea, experientia propria nihil didici.

Spec. C. Betel, Linn. Cyng. *Betel.*

Sinhalenses semper et continuo folium betelis cum calce et nuce areca masticant Dicitur sanguinem purificare, tonum ventriculi restituere, et multae virtutes mirificae usui ejus attribuuntur.

CONCLUSIO.

CONCLUSIO.

Nunc ad finem perduxi hanc dissertationem mancam quidem, et valde fortasse protractam. De defectibus fere innumeris maximè sum conscius, sed quum super hanc rem aliquid disserere statuissem, duae methodi aliae investigationis consectandae relictae erant. Si omnia remedia Sinhalensibus in morbis adhibita inseruissem, haec dissertatio fere in catalogum plantarum insulae intumesceret, nam medici Sinhalenses nullam plantam, herbam aut arborem, esse credunt, vires medicinales non possidentem, si virtutes recte applicatae et intellectae essent. Si pauca tantummodo ad inquisitionem proposuissem, necesse erit in observationibus aliorum plerumque contrariis confidere, et nihil aut vix nihil propria experientia inserere. Lubentissime fateor me investigationibus hujusmodi parum idoneum esse; sed si sanitas aut vita non defecerit, iterum et fortasse spe meliore inquisitionem suscipiam.

Diu tamen attentionem unius attraxerat viri, ingenio acerrimo variaque doctrina maxime ornati. Medicinam aut historiam naturalem Indiae

diae Orientalis illustrare aptiorem scio neminem, illo cui nunc pro innumeris beneficiis in me collatis gratias sincerissimas ago, cujus amicitiae strenuae atque benignae multa mea bona in publica; multa in vita privata debeo.

AMICO ILLI

HENRICO MARSHALL,

IN INSULA CEYLONA,

AD COPIAS BRITANNICAS,

CHIRURGO,

HAE PAGINAE

CONSECRANTUR.

INDEX SECUNDUM ORDINES NATURALES.

JUSSIEU DISPOSITUM.

Vitices

Leguminosae

INDEX ALPHABETICUM,

SECUNDUM NOMINA GENERICA DISPOSITUM.

Nerium

ERRATA.

Pag. 3,	*lin.*	12,	*pro*	non minimè	*lege*	maximè.
3,	...	15,	...	petuitae	...	pituitae.
4,	...	10,	...	non minimam	...	maximam.
5,	...	5,	...	agrotis	...	aegrotis.
6,	...	8,	...	dignoscetur	...	dignoscitur.
6,	...	21,	...	Tigrinis	...	Tigrinus.
11,	...	12,	...	Laureiro	...	Loureiro et in seq.
11,	...	16,	...	ordines	...	ordinis.
12,	...	14,	...	cumae	...	curcumae.
13,	...	note,	...	plurimus	...	plurimis.
34,	...	7,	...	dicti	...	dicta.